



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De  
Expedita Ad Dei Amorem Via**

**Comalada, Miguel**

**Elvaci, 1685**

Cap. II. De Amore Proximi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

ac instituet, quicquid faciendum tibi fuerit, quò cum illius Domino possis habere sermonem.

*De Amore proximi.*

CAPUT II.

**I**Ntereà Desiderius adventum pueri, qui eum ad Dominum suum introduceret, cupidissimè præstolabatur. Atque ecce egredientem intuitus est. Dicebatur autem puer, Amor Proximi. Tum verò immenso affectus gaudio Desiderius, ob amorem ingentem, quo pueri herum prosequeretur, à lachrymis præ lætitia sibi temperare non potuit.

AMOR PROXIMI. Cur lachrymis oculi humescunt & madent tui, quando hisce in ædibus omnes hilares sunt, nec quisquam ploratus edit?

DESID. Lachrymas hasce non dolor aut inæror, sed gaudium exprimit.

AMOR.

AMOR PROX. Quem hîc quæris?  
 DESID. Amorem DEI. AMOR.  
 PROX. Illius ego puer sum. Si er-  
 go Dominum meum quæris, prius  
 necesse est mecum sermonem habe-  
 as, meique notitiam contrahas &  
 familiaritatem. Namque Dominus  
 meus tam me sibi charum habet, ut  
 quisquis me non diligit, eum nec  
 nôsse nec alloqui dignetur. DESID.  
 Perquam velim exploratas & cogni-  
 tas habere conditiones tuas, atque  
 ob Amorem Domini tui, tecum  
 consuetudinem & amicitiam junge-  
 re. AMOR PROX. Siquidem in-  
 amicorum meorum numerum ad-  
 mitti velis, singulis quibusque die-  
 bus manè jentaculi loco condimen-  
 tum mihi præbeas oportet, cujus est  
 vocabulum, Humilis Cogitatio:  
 itemque aliud meridie, quod Hu-  
 milis Locutio dicitur: rursusque  
 serò aliud, cujus est nomen, Hu-  
 milis Operatio. DESID. Ubinam  
 hæc licebit comparare condituras  
 sive

sive condimenta? *AMOR PROX.*  
 Primam quidem condituram, nempe Humilem Cogitationem, Humilitas conficit unâ cum Marito suo, videlicet sancto illo Proposito, quo se aliis omnibus viliozem, minorem, inferiorem, & velut Jumentum ducit ac arbitratur. Propositum hoc, Humilitati quoddam parat edulium sive electuarium, quod Contemptio sui appellatur: ad hanc deinde, de qua nunc agimus, conficiendam condituram, alia adhibetur herba, quæ Bona de Proximis Existimatio dicitur, atque ex his Humilis Cogitatio fit. Nullum autem totâ hac provinciâ peritiorem hujus conficiendæ condituræ sive condimenti myropolam reperies, quàm antè dictum Humilitatis maritum, qui, ubi cum amicum nactus eris, probè ipsum coquere & parare sciet. Altera Conditura, nempe Humilis Locutio, ex aliis tribus herbis constat, puta, Humilitate, Mansuetudi-

rudine & Affabilitate, quæ quidem minuto sint conspersæ pulvere, videlicet Tarditate & Parcitate. Tertia conditura, quæ est Humilis Operatio, ex multiplici materia, herbisq; multivariis conficitur, quarum præcipuæ sunt, Hilaritas, Amor & Diligentia. Hasce ubi mihi vesendas obtuleris condituras sive condimenta, firma erit consuetudo & amicitia nostra, breviq; efficiam, ut Domini mei colloquio perfruaris. Desiderius ejusemodi Pueri hujus consiliis ac institutionibus mirificè delectatus, ait ad eum: **DESIDER.** Quandoquidem tum conditionem, tum desiderium mihi tuum explicuisti, hasce obtinere condituras, easq; tibi præbere curabo. Deinde diu satis Desiderius apud Puerum demoratus est, agendo atque conversando cum illo, ejusq; haud vulgarem est consecutus familiaritatem, dum illi antè memorata exhiberet condimenta. Quadam autem vice sic eum.

H com-

compellavit: Obsecro, id mihi præstes beneficij, ut patefacto aditu, liceat mihi Herum tuum accedere, AMOR PROX. Æquum sanè est id, ut fiat, quando quod in te est, facere studuisti. Sustine igitur parumper. En Dominum meum accersitum pergo, exploratumque, num tecum colloquendi gratia foràs prodire velit.

*De Amore DEI & Proximi, & de alio Amoris gradu, ejusque functione sive officio & exercitio.*

### CAPUT III.

**D**Esiderius interim hanc animò versabat cogitationem, num Amor DEI ad ipsum colloquendi gratià exiturus foret, secum ipse pensitans, usque adeò vilem, inopem ac miserum se esse, planeque indignum, quicum tantis tamque illustris Dominus verba misceret. Atque sub hisce cogitationibus quendam ad se